

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae X.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

alii, facilitate autem quod vellem consequi potuisses. Sed facilitas est voluntatis: quam si Cicero requirit in Lentulo, hominem carpit amicissimum, optimeque de se meritum.

Inimici] Qui etiam quaestorem eius, P. Rutilium Rufum, quod cum praetore suo contra eos consensisset, damnauerunt. Peditanus, epitome Liuiana lib. 70. Huius odii publicanorum in Q. Scaeuolam mentio fit in orat. pro Plancio c. 13. his verbis: *Equitum ego Romanorum etiam in homines nobilissimos ma-*

ledicta, publicanorum in Q. Scaeuolam, virum omnibus ingenio, iustitia, integritate praestantem, asperere, et ferociter, et libere dicta commemorare?

Ipsi illi Q. Scaeuolae] Auguri, P. F. Laelii Sapientis genero, Crassi oratoris socero. Fuit alter Q. Scaeuola, Q. F. pontifex max. multis annis iunior.

Tibi sum auctor] Te hortor. *Videtur esse prudentiae tuae*] Pertinere videtur ad prudentiam tuam, quae potest difficillima quaeque superare, ut eum ordinem tibi aut reconcilies, aut mitiges.

EPISTOLAE X.

ARGUMENTVM.

Vnam hanc subesse causam video, cur hanc epistolam scripserit, ut certiore faceret Valerium de gratiis Lentulo, Ciliciae proconsuli, a se per litteras eius nomine diligenter actis. nam cetera iocationes merae sunt, familiarem consuetudinem, et mutuam beneuolentiam indicantes. Actio igitur gratiarum, et ioca ipsa, quibus tota condita est epistola, ad morale genus pertinent, nam et iocosa dicta subiecit moribus Aristoteles Rhetoric. lib. 1. et Cicero in tradenda officiorum doctrina facetias quoque persecutus est.

EXPLANATIO.

Valerio] Hic est, de quo lib. 3. epist. 1. et lib. 7. epist. 12. *Valerii* nomen boni ominis apud Romanos habebatur: itaque Festus sic: *Omnis boni gratia, in delectu, consue primi nominantur, Valerius, Saluius, Statorius.*

Cur enim tibi hoc non gratificer] Cum inscripseret, *Valerio Iuriconsulto*, subiunxit iocans: nam, *Iuriconsultum* cur te non appellem, nescio, etiam si *iuriconsultus* valde non sis. Et sane *Valerius* hic non videtur ius ciuile,

quantum opus esset, cognouisse: cum de eo sic ad Appium lib. 3. epist. 1. scripserit: *Valerium, iuriconsultum, valde tibi commendo: sed ita etiam, si non est iuriconsultus.* Verum ita familiariter eum Cicero diligebat, ut ei, quod omnino falsum non erat, id per iocum obiiceret. Inscripsi, inquit, hanc epistolam, *Iuriconsulto*, gratiae potius causa, quam veritatis, praesertim cum hodie non qui sapientes, sed, qui audaces sint, *Iuriconsulti* nominentur. Hic, ut

omnis, quantum quidem praestare nobis liceat, erroris tollatur occasio, quasi quoddam *παρεργον* addatur, quod tamen alienum non putamus, quae nostra sit de epistolae integritate sententia. sunt enim, qui huius epistolae desiderari principium existiment: quod eis, credo, insolens, atque ineptum videatur, prima epistolae verba ab inscriptione pendere. cuius tamen generis exemplum hoc animaduertimus, lib. 3. ad Attic. epist. 20. M. CICEO S. D. Q. CAECILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO: *Quod quidem ita esse, et auunculum tuum functum esse officio, vehementissime probo.* Constat enim, itidem hic epistolae principium inscriptionem spectare.

Audacia pro sapientia] *Audacia*, licet fortitudinem imitetur, in malam tamen partem accipitur. *Animus enim*, ut lib. 1. de Offic. c. 19. scripsit Cicero, *paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciae potius nomen habeat, quam fortitudinis.* Sapientia vero diuiditur in duo genera, vnum naturae, idque simplex, alterum artis, quod in alia rursus ei subiecta genera diuiditur. Naturalem sapientiam voco, quam expertes doctrinae multi, nullis litterarum praeceptis imbuti, naturae tamen munere consequuntur: quales sunt, qui suas actiones directa quadam iudicii regula metiuntur, nihil temere, nihil indecore committunt, a prauis recta, a turpibus honesta distinguunt. hanc sapientiam tribuit Cicero lib. 7. epist. 1. M. Mario, si ludos Romae, cum per valetudinem posset, spectare noluit; Len-

tulo epist. 5. si omnem amplitudinem, ac dignitatem suam in virtute, atque in rebus gestis suis, atque in sua gravitate positam existimabit: aliis alibi, quod labi, et errare per imprudentiam non consueverint. Vlysem quoque, quod, variis iactus casibus, multis, quae aliis exitio fuerant, periculis terra, marique defunctus, ad patrios lares reuersus incolumis, ab iniuria procorum uxorem, domumque suam, seque ipsum singulari consilio vindicauerit, hoc excelluisse sapientiae genere Homerus prodidit. Alterum sapientiae genus, quod ab arte proficiscitur, vel omnium artium, vel multarum, vel vnius tantum absoluta cognitio est. si omnium, ita definitur, humanarum, diuinarumque rerum causarumque, quibus hae res continentur, scientia, quam vni Deo perfectam contigisse, nequaquam in homine posse reperiri, vere credimus. Deus autem non eam ab arte extrinsecus accepit, (nec enim vlla re vniquam indiguit) sed a se ipso, aequae aeternae, aequae infinitae, ut aeternus ipse, et infinitus est. Quod si non omnium, sed multarum rerum, quae vel ad usum, vel ad ornamentum humanae vitae pertineant, notitia est; qualis in Thalete, Anaxagora, Pythagora, Democrito, Socrate, Aristotele, Platone, et aliis vel Graecis vel Aegyptiis fuisse traditur, philosophia dicitur: quia perfectam illam sapientiam, quantum homini licet, imitatur. eadem tamen et sapientiae nomen interdum sibi vindicat: quia, quo nihil putatur inter homines praestantius, id eo vocabulo, quo nullum inter humanas res nobilius reperitur, decorari aequum est. Inde

de Thales, inde Bias, inde Socrates, aliique, quos celebrauit antiquitas. Ad hunc numerum aggregare possumus, ex Romanis Catonem illum Censorium, qui cum et litteris esset instructus, quamquam non omnino cum superioribus illis conferendus; cumque multarum rerum usum haberet; sapientis nomen inuenit. Nec video, cur ab hac laude M. Varronem, Ciceronemque nostrum, qui rerum laudabilium varia cognitione praefluerunt, patiamur excludi. Multis etiam vnus modo artis eximia quaedam, et singularis intelligentia, opinionem, ac famam sapientiae peperit. quod Athenacus de musicis lib. 14. tradidit, Plato de poetis, cum Anacreontem sapientem appellat in Phaedro, et genitam a poetis sapientiam, ait in Lyside: de iurisconsultis Cicero in libro de Amicitia c. 21. L. Acilii exemplo, qui, quod esset prudens in iure ciuili, sapiens nominatus est: de ciuitatum rectoribus in superiore epistola ad Lentulum: *Tota, inquit, sapientium ciuium, qualem me et esse et numerari volo, et sententia, et voluntas, mutata esse debet.* Transeo ad humiliores artes. Marmorariis, et statuariis non sapientiae laudem tribuit Aristoteles lib. 5. Ethicorum? non agricolis Plato in dialogo de de scientia? non fabris Homerus, in eo, σοφὸς ἦραρε τέκτων; Neque solum ex vna arte, praeclare cognita, multi, sed ex vna etiam, quae mentis optinae speciem prae se ferret, actione C. Laelius, ille Africanus minoris amicitia clarus, sapiens et habitus est, et perpetuo vocatus, quod legis Liciniae de agri modo, ne seditionem inter ciues

excitaret, patrocinium deposuerit. Cum igitur sapientiae nomen tam late pateat; merito, a quorum studiis maxima ad omnes manat utilitas, iuris prudentibus communicatum videtur. est enim iuris ciuilis prudentia genus quoddam sapientiae, et quo ciuitates, quae sua iura, et quasi iustitiae normam ab antiquis legibus petunt, quae plurimae sunt, consilio sapientis administrari dicuntur. quam doctrinam Scala meus, humanitate, et virtute excellens, lumen, et ornamentum Patauini fori, quinque libris, qui ab omnibus iurisconsultis eximia cum eius laude leguntur, vniuersam comprehendit. Sed, quia saepe accidit, vt, qui ea, quam profitentur, iuris ciuilis cognitione indigeant, iidem audacia, vt id, quod ignorant, scire videantur, in primis abundant: propterea, inductam esse consuetudinem, vt in agendis causis audacia pro sapientia liceat vt, per iocum quidem, sed verò tamen Cicero dixit.

Lentulo] Ciliciam administranti. Erat igitur hic Valerius in Cilicia, et fuit etiam Appio proconsole, cui commendatur lib. 3. epist. 1.

Vbi aliquo numero sis] Vbi alii quoque iuris prudentiam tenent. istic enim solus videris iurisconsultus. Sed hic etiam Cicero iocatur: significat enim Valerium de industria se in Ciliciam contulisse, vt solus ibi sapere videretur, cum iurisconsultus ibi solus esset.

Partim te superhum esse dicunt, quod nihil respondens: partim contumeliosum, quod male respondeas] locus est in his verbis et abstrusus, et elegans. vult enim innuere, ideo nihil eum quandoque respondere,

non quod superbus sit, sed quod eum nemo consulat, cum homines bonum iuriconsultum non putent: ideo autem male respondere, non quod contumeliosus, sed quod imperitus, et indoctus. Proprium vero iuriconsultorum fuit, hodieque est, de iure consulentibus respondere. Similis iocus est in Trebatium lib. 7. epist. 16. *Qui istinc veniunt, superbiam tuam accusant, quod negent te percunctantibus respondere.*

Ut possimus saluum venisse gaudere] Quod in Apulia tua nemo poterit: cum nec propinquum ibi, nec amicum habeas. Pergit in festiuitate, et Valerii notat ignobilitatem; cui qui gratularetur in patriam redeunti, nemo esset. Quod si Romam, inquit, venies: erit, qui, te saluum venisse, gaudeat: habes enim hic, qui te norint, et diligant: in Apuliam vero tuam si accesseris; quis erit, qui gaudeat? Hanc sententiam, illata figura *παρά προσώπων*, confirmat sequentibus verbis: *tamquam Vlysses, cognosces tuorum neminem.* Quod etsi discrepat ab Vlyssis fabula; qui suos quidem ipse domesticos omnes, Ithacam reuersus, cognouit, sed ab iis cognitus non est: tamen Cicero, nactus iocandi locum, lepide sermonem conuertit ab Vlyse ad ipsius Valerii humilitatem, ac solitudinem. Quod ideo ostendendum putauim, ne quis Ciceronem in Vlyssis fabula memoriae vitio labi putet: cum in eo ipso iocus appareat, quod, cum, inducta Vlyssis mentione, dicturus videretur, cognosceris a tuorum nemine, traduxit sententiam, vt dixi, ad id, quo Valerii notabatur ignobilitas. Veram

sententiam, vt Homerum omittam, Varro in Sesiqualyffe, apud Nonium, retulit his verbis:

Aduersi venti conciderunt: quod si pergunt diutius

Mare voluere; vereor, ne me quoque, cum domum iam ab Illo

Cessim reuervero, praeter canem cognoscat nemo.

Possit etiam hoc aliquis referre ad illud tempus, cum Vlysses dormiens, a Phacacibus in litore Ithacensi expositus, mox experrectus, patriam non agnouit. vnde Homerus

ἐν τῶν v. 187.

— ὅδ' ἔγρετο δῖος Ὀδυσσεύς,

Εὐδῶν ἐν γαίῃ πατρῶν, ἔδέ μιν ἔγνα,

Ἦν δὲν ἅπερ' ἐπεὶ γὰρ θεὸς ἤερα χέεν

Παλλὰς Ἀθηναίη. —

Et infra v. 233. sic ipse Mineruam interrogat:

Τίς γῆ; τίς δῆμος; τίνας ἄνδρες ἔγγεγάσιν;

Sed omnino prior interpretatio magis placet: vt in lepore pergat; et, quemadmodum primis epistolae verbis audaciam, mediis inscientiam, sic postremis ioco liberiore, id est, a superiori non dissimili, ignobilitatem irrideat familiarissimi sui: de quo lib. 3. epist. 1. *Est ex meis domesticis atque intimis familiaribus.* Tribuit autem hoc iuris familiaritas, vt iocari liberum putemus, alioqui iure Cicero inurbanus, et amarior, quam deceat, videri possit. Nec vero cum ipso tantum, sed cum aliis etiam iocari de illo solitus est: vt in eadem epistola: *L. Valerium, iureconsultum, valde tibi commendo: sed ita etiam, si non est iureconsultus. Melius enim ei cauere volo, quam ipso aliis solet.*

PAVLLI